

1800  
1  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA.

# ELEMENTIS,

*Quam*

DUCE ET AVSPICE CHRISTO,

PRÆSIDE VIRO

Clarissimo atque Excellentissimo


## DN. JOH-CONRADO

Schragmüllern / GRÜNSTATO-PALATINO SS. THEOLOGIÆ DOCT.  
Et in Inclyta ac Celeberrima hâc Marpurgensi  
Academia Physices Professore ordinario, & p. t.  
Facultatis philosophicæ Decano spectatissimo:

Dn. Præceptore, Promotore ac Fautore  
suo æternum colendo.

*Pro consequendis MAGISTERII insignibus, omnibus  
ac singulis Philosophia cultoribus publicè in auditorio Philoso-  
phico ad diem 7. Iulii ventilandam & examinan-  
dam subjicit.*

ANTHONIUS LUDOVICUS Bensheim/  
WETTERANUS HASSUS.




MARPURGI HESSORUM,  
Typis Simonis Zachmanni, Anno 1638.

1693.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

ELEMEN<sup>TIS</sup>





## DISPUTATIO PHILOSOPHICA.

# De ELEMENTIS.

### THEISIS I.



Um liberum semper Philosophan-  
digenus approbârint Philosophi, te-  
ste Taurello in Triumph:contra Cœ-  
sal,in præf. lib. placuit nobis Socraticū  
illud axiomapræmittere. *Amicus So-  
crates, amicus Placo, sed magis amica veri-  
tas.*

2. Veri enim inter est Philosophi non solum ami-  
corum opiniones, sed etiam proprias delere sententias  
ad præsidium, & veritatis conservationem test. Scal. Exer.  
6. sect. 4.

3. Licet igitur Elementorum cognitio abstrusissi-  
ma & perplexa admodum fit, attamen, quia scientia cor-  
porum sive rerum mixtarum ex his dependet, teste Philo-  
so. 2. de gen. & cor. c. 1. tex. 1. & 2. c. 8. & lib. de calo c. 3. tex. 32. I. Me-  
teor. 1. Conimb. lib. 1. de gen. & cor. c. 10. quest. 1. art. 1. & lib. 3. de  
cælo cap. 1. Piccol. in lib. de Elem. c. 3. Barth. Enchir. phys. lib. 5. cap. 1.  
Visum est nobis quæ de iis scitu necessaria sunt, succin &c  
ac Methodicè publica ov̄ γῆστρα discutienda proponere.

4. Sumitur autem Elementi nomen Græc. σούχειον,

A 2

variè.

variè. 1. pro primis eujuslibet rei vel artis principiis. 2. pro principiis generationis, ex quibus aliquid cōstat, quo sensu accipitur ab Arist. 12. Met. c. 4. tex. 23. pro materia, forma, & privatione. 3. Specialius pro sola materia prima: & deinde 4. pro vulgatis mundi Elementis, secundum quam notionem, de Elemento in præsentia agimus.

5. Esse vero Elementa in rerum natura, non solum variæ veterum Philosophorum ostendunt opiniones, ut Arist. lib. 3. phys. de cælo, Averr. in 4. de cælo. Plato Hippoc. &c: sed & demonstrant rationes: 1. Ex ipsa Elementi definitione, quia sunt in universo corpora aliqua, in quæ omnes in definitione conditiones elementi positæ apprimè quadrant. 2. datur motus simplex rectus, dabitur etiam subiectum hujus accidentis primum, scil. simplex corpus vel Elementum.

6. Illustris est controversia, quæ circa numerum Elementorum agitatur, quidam nullum, quidam unum, quidam tria, quidam quatuor, quidam infinita, & quidam deniq; duo posuere, quorum sententiam, ut veritatis magis consentaneam, ambabus amplectimur manibus.

7. Quid nullum invexere Elementum ut refert Piccol. fūre Democritus, Leucippus, Epicurus: dixerunt omnia fieri ex prioribus corporibus, nempe ex Atomis: Conimbric. lib. 4. de cælo. cap. 2. pag. 506. oppositum autem videtur suaderi posse. 1. Ex generatione, in quam conspirant. 1. Motus sub duplice termino. 2. Tempus sub mensura primi mobilis. 3. Locus sub dispositione totius ad ubi. 2. Ex generato: quantum enim illud est, ob extensionem partium in toto individuum latitudine tūm extensiva tūm intensiva. Nullum autem tale ex non, quanto aut ex individuo componitur, sicut in constitutione

5

cione linearum per puncta Mathematica clare intuemur.

8. Quidi unum finxere, vel aquam solam, ut Thales: vel aërem ut Diogenes: vel lignem ut Heraclitus: verum unum elementum esse non posse probatur. 1. ratione alterationis. 2. ratione motus, & tandem 3. ratione mutuæ proximorum principiorum in mixtis pugna?

9. Quid tria fecere, aërem, aquam, & terram: ut Barthol. in Enchir. phis. lib. 4. c. 2. pag. 328. Card. de substit. lib. 2. de Elem. pag. 86. & alii. Ast aërem non esse speciem Elementi, sed cælum probatur: Ex definitione cœli, quæ ipsi aëri competit: Unde sic concludo: Cuicunque competit definitio, eidem competit & definitum: Atque aëri convenit definitio cœli E. Minorum probo Ex. Colleg. Stæchol. Clariss. Praef. disp. 3. pag. 53. & seqq.

10. Qui quatuor, ignem aërem, aquam & terram statueré: sunt Arist. Tolet. Comnib. Piccol. Mendoz. & alii. Ast aërem non esse Elementum, præcedente thesi probatum fuit: Ignemetiam non esse Elementum probamus. Quicquid non concurrit ad mixti constitutionem id non est elementum. Atq; ignis non concurrit admixti constitutionē E. Minor prob. Ex disp. 1. Coll. Stæ. Cl. Praef. p. 16. Aut ingredetur mixtionem motū circulari aut recto. Non illo ut in propatulo. Nec hoc, quod hoc modo probatur. Motus ille rectus, vel esset sursum, vel deorsum. Nō sursum quia sic à mixtione multò magis recederet. Non deorsum, quia sic contra ignis naturam ageret &c. plures probationes citato loco videri possunt.

11. Qui infinita velut Anaxag. præter 4. constituit etiam partes similares &c, ut refert Arist. lib. 3. de cælo cap. 4. verum infinita non esse probatur 1. a parte locorum, quibus mensurantur 2. à parte qualitatum quæ ejusdem

generis putantur 3. à parte mixtorum quæ sunt finitæ.

12. 2. Et confirmatur ulterius: Quia infinitas non modò naturæ, sed etiam scientiæ repugnat: Naturæ dupliciter quidem, Motus simplices sunt finiti. Ergò principia à quibus manant, erunt quoque finita, & ut dicitur 1. dè gene: animal, cap. i. natura horret infinitum, & in omnibus rebus amat & quærit finem.

13. Scientiæ verò: quoniam id, quod est infinitum, est ignotum, nec potest certis ullius scientiæ finibus contineri ac comprehendendi. Unde etiam Theoph. in suis Metaphy. inquit: progressus in infinitum inutrisque scilicet tam intelligibilibus, quam sensibilibus est alienus & intelligentiam aufert.

14. Porrò ignoratis corporum mixtorum principiis, funditus tollitur eorum sciētia quippe qua ex illis proficiscitur & omnino pendet, Arist. lib. 2. de gen. & cor. c. i. tex. 1. & lib. 3. de cœlo. tex. 32.

15. Relinquitur ergò binarius elementorum numerus, ita, ut nec plura nec pauciora his duobus dari possint elementa concedentibus quodammodo, simpliciter afferentibus. Tipl. Apsych. lib. 3. Problem. I. pag. 242. & seq. Wend. sect. 3. contemp. phys. cap. 8. Lamb. Dana. phys. Christ. tract. 2. cap. 9. pag. 30.

16. Cur Arist. cœlum vocavit elementum? Cœlum dicitur elementum primum ab Arist. lib. 3. de cœlo c. i. tex. 2. & i. de cœlo quast. l. art. 2. p. 8: Propterea quod corpora cœlestia sint primæ partes simplices, ex quibus mundus corporeus constat neque ex alio corpore constat; sicut & mixtum ex suis elementis constituitur.

17. Differt autem 1. Fine, cœlestis enim corporis est influere in hæc inferiora, per modum efficientis in effecta.

**f**ecta. Elementi autem concurrere ad inferiora permotum partes constituentis essentiam 2. motu: cœlum enim circulariter tantum: Elementa verò & recto & ex Aristotelis concessâ hypothesi: circulari motu moventur 3. loco: Extra cœlum nullus datur locus. In loco verò elementa tanquam contenta ab externa superficie primi mobilis 4. Accidentibus: cœlum dicitur ingenerabile, sive secundum se totum, sive secundum suas partes: Elementa autem generabilia ex se mutuo, si non secundum se tota: saltem secundum suas partes.

18. Definiuntur autem elementa ab Arist. lib. 3. de cœlo, c. 3. tex. 31. lib. 5. Meta. cap. 3. tex. 4. Hoc modo: elementa sunt corpora simplicia, & pura ex quibus mixta omnia primum componuntur & in quæ ultimò resolvuntur, ipsa verò in nulla se priora.

19. Duas hæc elementorum definitio insecon-  
net proprietates.

20. Dicuntur corpora simplicia & pura, &c. ubi primò notāda est ambiguitas invocabulo simplicis, quod vulgo trifariam sumitur. 1. Quod non est compositum, nec componibile, uti solus Deus. 2. Quod non est compositum ex re & re, qualis est Angelus, materia prima & anima rationalis, eique opponitur materia & forma: 3. denique quod non est mixtum, quo significatu mixtio opponitur simplicitati, quæ in cœlo & duobus reperitur elementis.

21. Sunt autem quia negant hoc axioma physicum. Elementa sunt corpora simplicia & pura &c. In veritatis castris militare, eo quod aquis admixta sit terra, pura puta enim aqua esset insipida, ideoque non posset potus commodus esse animalibus: Terra etiam si pura esset, non posset

posset humorem suppeditare animantibus & rebus na-  
scientibus.

22. Verum hunc nodum oportet nos solvere. Di-  
cimus ergo i. elementa esse corpora pura ac simplicia, re-  
spectu mixtorum corporum, quibus alia principia assi-  
gnari non possunt nisi elementa, ex nihilo enim nihil fit  
*Arist. 1 phys. c. 9. Scal. exer. 307. sect. 20. Quicquid autem fit, ex  
alio fieri necesse est, Per lib. 5. cap. 4.*

23. 2. Dicuntur corpora simplicia: quia non ex  
elementis sunt composita, ut metallum, planta, animal,  
neque dividi possunt in partes quæ specie differunt ut ha-  
bet tex. Arist. Sicut enim ex diversis speciebus facta non  
sunt, ita nec in res diversarum specierum dividi possunt.  
*Mag. in phys. pag. 189.*

24. Ex quibus corpora mixta omnia componun-  
tur & tandem resolvuntur. &c. 1. Ea sunt corpora simpi-  
licia, ex quibus omnia reliqua componuntur, & in quæ tan-  
dem resolvuntur, ex quibus enim aliquid constituitur,  
in eadē etiam resolvitur. *Scal. d. c. 1. p. 3.* At ex elementis om-  
nia corpora mixta constituuntur & in ea tandem resolv-  
vuntur, ipsa verò in nulla se priora, *Arist. lib. 3. de cælo, cap. 2.  
tex. 3. E.*

25. 2. Infertur etiam officium illius. 2 dignitas.  
3. existentia in mixto. 4. denique origo principalitatis.

26. Esse autem terram & aquam elementa satis pa-  
tet, cum sint corpora simplicia, ex materia & forma con-  
stantia, qualitatibusque suis prædicta & rerum generabi-  
lium materia & sedes.

27. Inter hunc binarium elementorum nume-  
rum, primum locum obtinere ipsam terram, rationibus  
probabilibus probare conabimur.

28. 1. Ratione productionis: quia terra non solum arbores, plantas & omnis generis, fructus, animalia terrestria sed etiam metalla pretiosa, gemas, aurum, argentum producit. 2. Ratione cōservationis, quia terra non ad quiescendum tantum, sed ad peregrinandum valde utilis & commoda est. 3. Quia terra aquæ, non aqua terræ præbet hospitium: dignius a. agens & nobilior passo, ut Clariss. Praef. in Colleg. Stæche. disp. 6. problem. 5. pag. 187. quoque, statuit.

29. Aquam etiam in se habere suam virtutem non negamus, dum piscibus locus & habitatio est, & præterea navigationibus in servit commoditatí generis humani. Ast multò nobilior terra est, ut th. præcedente probatum.

30. Efficiens dicimus, vel quod esse à non esse traxit: vel quod esse in perpetuitate conservat, illud Deus & natura; hoc verò motus est locus.

31. Ex fine considerantur elementa, vel in ordine ad mundum, vel in ordine ad mixta, vel in ordine ad omnis generis mutationes in mixtis efficiendas.

32. Usus eorum consistit vel in recipiendo: Terra enim est receptaculum, & sedes tam animalum rationalium, quam irrationalium: Aqua piscium: vel in subministrando & conservando, dum alimenta præbent ad sustendandam vitam.

33. Materiam cum Arist. 1. phys. c. 6. t. 54. Statuimus medium inter elementa, & ab elementis distinctum id que non mixtione sed potestate medium, quod sit facultate utrumque extreum: hoc enim à contrarietate magis alienum est: Quale esse oportet, quod generationi substernitur: videantur Conimb. in tex. Arist. & Piccol. in

phys. ibidem pag. 162. 163. Ideoque eadem est elementorum materia, quæ cœterorum sublunarium corporum ut reciprocā eorum commutatio testatur & ostendit.

34. An Elementorum materia differat à cœli materia? R. Duas de hac quæstione invenimus sententias: Prior specie distinguit materiam elementarem à cœlesti: Posterior, tenet esse materiam elementarem & cœlestem ejusdem speciei, quam sententiam præcedente probabiliorem existimamus: quia entia sine necessitate non sunt multiplicanda, si materiae elementares & cœlestes essent per se diversæ, reperirentur duas materiae primæ quod à rōtorib[us] & in philosophia haec enus in auditum. Videantur Wendel. c. 2. sc̄t. 3. Pere. lib. 5. pag. 318. Conimb. lib. de cœlo cap. 2. q. 5. art. I.

35. Forma cujusque elementi est id, quod materiae conjunctum elementi essentiam constituit, & intrinsecè ab alio distinguit, nomineque peculiari caret & specialissimè explicari non potest, prout plerarumque rerum formæ nos latent, quarum locum ideo proprietates obtingere solent.

36. Quæ sint formæ elementorum? R. formæ elementorum esse substantias in completas, quæ essentiam elementis cum materia largiantur.

37. Qui verò elementorum formas primas qualitates, grauitatem & levitatem dicunt, refutantur, ex Aris. 8. Met. contex. 5. Conimb. de gen. & cor. lib. 2. cap. 3. q. 1. art. 2. & 3. Piccol. cap. 6. de elem. pag. 806. 2. Ex absurditatibus in numeris inde pullulanibus, ut inter alia sunt. 1. Quod elementa non sint corpora physica. 2. quod recipientia magis & minus. 3. quod singula non sint unum per se, sed per accidens. Videantur Conimb. Comm. 1. de gen & cor. c. 3. q. 1. art. 2. 38. Mo-

38. Motum etiam elementis competere dicimus simplicem, qui naturalis est, unius enim corporis simplis unius & simplex est motus: contra præter naturam moventur varie ab extrinseco quodam principio, secundum partes.

39. De elementorum autem motu, unde provinat, diuersæ diuersorum reperiuntur sententiae: Nos verò qui breuitati studemus, dicimus cum Arist. lib. 8. phys. lib. 4. tex. 23. Elementa moueri à sua propria forma interna principaliter: instrumentaliter à qualitatibus, per quas formæ elementorum sese exerunt, quia formæ, ut forma est agere, non pati, id enim habet à materia, videatur fusius Piccol: lib. 2. de elem. cap. 19. pag. 824. & seq. & Conimb. in commentario: Arist. lib. 8. phys.

40. Sunt denique qui elementis nullam certam ac præfixam vendicant figuram Arist. ipse lib. 3. de cœl. c. 8. tex. 67. nimis quia uidemus unumquodque eorum contingere undique extremitatem rei & accommodare sese ad rem, cui jungitur: Alii verò omnibus elementis, ut sunt partes uniuersi rotunditatem tribunt, quam sententiam, uti veritati magis consentaneam approbamus Arist. lib. 2. de cœlo. c. 4. tex. 26. Rationes firmæ videri possunt apud Conimb. lib. 3. de cœlo cap. 8. q. 3. art. 2. Mastri. lib. 1. astro. pag. 64. & seqq. Et tantum de elementis, & tandem etiam de meo proposito.

Μέγω Θεῷ δόξα.

## C O R O L L A R I A.

- An inter infinitum & finitum detur proportio? A.  
An simplex semper sit perfectius composito? A.  
An à privatione ad habitum naturaliter detur regressus? Neg.  
An propria unius rei possint communicari alteri diversæ? A.  
An mundus ex nihilo sit conditus? A.  
An idem sit numerus costarum in mariibus & fœminis? Af.  
An vespertilio sit avis? Neg.  
An pulchritudo sit ens perfectum? A.  
An versus qui cæsura carent, sint boni? Neg.  
An Poëtica sit discenda? A.  
An mulieri competit potare vinum? D.  
An cantillantes aviculæ propriè laudent Deū? N.  
An Parentes possint cogere juvenem filium, ut ducat vetulam? N.  
An subditis sit venatio permittenda? Neg.  
An Edite & Bibite in verbis S. coenæ, sustineant tropum? Neg.  
An tropus sit in vocibus coniunctis? Neg.  
An circulus & initii & finis expers? Aff.  
An punctum linea dici possit, & unitas numerus? Neg.

F I N I S.